I. N. J.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA,

EXHIBENS

CASUM

DE

HYDROPE UTERINO,

QVAM

AUSPICIIS DIVINIS

RECTORE HUJUS ACADEMIÆ ELECTORALIS HIERANÆ MAGNIFICENTISSIMO,

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,

DOMINO

PHILIPPO WILHELMO,

S. R. I. COMITE DE BOINEBURG,

SACRÆ CÆSAREÆ ATQVE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO ET CAMERARIO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESIARUM MOGUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE SUPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIIQVE ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE

AUCTORITATE ET CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,

SUB PRÆSIDIO

DN. LUDOVICI FRIDERICI JACOBI,

MED. DOCT. ARCHIATRI ELECTORALIS MOGUNTINI, PROFESS. CHYM. P. CELEBERR. ET FACULT. MED. ASSESSORIS ORD. GRAVISSIMI, ETC.

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA DOCTORALIA

LEGITIME CONSEQVENDI,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

JOHANNES KOCH/ NEAGORENS. THUR.

PRACT. ALSTAD.

DIE XXX. SEPTEMBR. A. P. C. N. MDCCXIII.

IN AUDITORIO MAJORI HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ, TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.

SERENISSIMO ATQVE CELSISSIM

PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

JOHANN

GVILIELMO,

DUCI SAXONIÆ,

JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGARIÆ E
WESTPHALIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, PRI
CIPALI DIGNITATE COMITI HENNEBERIGIA
COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, SAYN
ET WITGENSTEIN, DYNASTÆ IN
RAVENSTEIN, ETC.

PRINCIPI AC DOMINO

SUO CLEMENTISSIMO,

INAUGURALEM HANC DISPUTATIONE

SUBMISSA ANIMI DEVOTION

OFFERT HUMILIMUS

SERVUS

JOH. KOC



PROOEMIUM.



SI hujus universi Machina & structura nos in admirationem rapere, si sapientissimi Conditoris sapientia ex illa delineari, si denique macrocosmus, tanquam Ens perfectissimum & optimo summæ laudis sigillo impressum judicari potest, certè quoque Microcosmus omni admiratione, omni laude, omni denique consideratione dignus extra omnem dubitationis aleam est judicandus. Quis non Microcosmi admirabilem & planè imperscrutabilem structuram videt, quis non illius machinam in perpetuo motu versantem pernoscit, quis non mirificam illius augmentationem & nutritionem penetrat? Ast sicuti

macrocoſmus horrendis malorum myriadibus ſubjectus luget, modò enim ab immanibus ventis crudeles terræ motus excitantibus planitiemque ejus & formoſitatem deſtruentibus dilaceratur, modò ab horribili diluvio, uti in ſacrarum literarum pandectis videre eſt, multis miſeriis & ærumnis ſuffocatur & planè deſtruitur: ſic quoque hodienum in Microcoſmo innumeros ventorum & flatuum motus ac cruciatus haud rarò exitium & funeſtum eventum minitantes experimur? Quid dicam de ſtygia illa crudelitate, quam in totum quandoque corpus humanum exercet ſeroſi illius & aquoſi humoris diluvium? Hoc interdum adeò exuperat, ut vel ex eo interitum totus patiatur Microcoſmus. Quemadmodum verò in Macrocoſmo non unô temporis momentô neque in toto terrarum orbe totalis inundatio eſt metuenda, ſed colluvie aquarum, affluxu magis atque magis accreſcente, & per aliquem temporis tractum in majorem molem & copiam ſe extendente, tandem huc atque illuc, disruptione prius exorta, magno-

rum

rum camporum, pagorum urbiumque dira fit inundatio, maximaque terrarum dilaceratio. Proh dolor! quot morborum genera, quot malorum ſentinæ; quot dolorum cruciatuumque ſpecies minimæ materiæ atque miaſmati, non dicam obſtructionibus vaſculorum capillarium pororumque in majorem ſenſim atque ſenſim quantitatem ingraveſcentibus ſuos debent natales? Verum in atra videtur piſcari, qui ingenii ſuo penicillo iſtum morborum eorumque cauſarum oceanum in una ſerie depingere velit. Ea tandem ſufficiant, quæ τῆς ὑγιείας πατὴρ Hippocrates & ſolers Medicorum experientia de ſeroſa hac aquarum colluvie in diſtinctas humani corporis partes & regiones easque nobiliores ſæviente ob oculos ponunt. Suus enim capiti hydrops, pulmoni & thoraci ſuus, ſuus quoque infimo ventri, qui in Medicorum foro aſcites audit, non raro etiam utero ſuus hydrops mirando microcoſmici corporis domicilio. Quantis ille excarnificetur morbis, quam diris tentetur & moleſtetur ſymptomatibus, præſtantiſſimorum Medicorum ingeniis in

praxi clinica ſeſe optimè exercentibus non eſt ignotum. Unde variæ virginum & muliercularum reſultant querelæ. Oceanum videt, qui uterum tum contemplatur. Ut enim ad illum aquarum omnium contingit affluxus: ſic ad hunc humorum omnium & impuritatum impetus defertur. De hoc humorum IMPETU, DILUVIO ſcilicet SEU HYDROPE UTERINO, ut raro, ſic gravi affectu in Praxi noſtra nuper obſervato & curato loco Diſſertationis Inauguralis verba facere mecum conſtitui. Tu verò, ſumme Medicinæ Conditor, pro inexhauſtâ tuâ ſapientia in denſis ignorantiæ tenebris lucem concede, conatus dirige, ut noſtrum hoc inſtitutum in divini Tui Numinis gloriam, noſtrum emolumentum & Medicæ Reipublicæ incrementum patientumque ſolatium vergat. Fac ſapiamus! Fac vera loquamur!

HISTORIA CASUS.



Ulier triginta quatuor annorum ſucci plena, ἐυεξίᾳ gaudens, plethorica, conſtitutionis phlegmaticæ, infantem lactans, æſtatis tempore incidit in febrim intermittentem, ortam ab errore in diæta commiſſo. Fructus etenim præcipuè horarios imma-

immaturos sine discrimine in magna copia devorans, de diæta ob rem domi angustam parum erat solicita. Quare in summo æstatis calore messorem agens, laboribus defessa ac exæstuans ad potum frigidum & quidem ▽æum simplicem non coctum se invitando illo plus justo se ingurgitabat. Unde horrores atque calor p. n. sitisque immodice aucta subsecuta est. Ea etiam jam dicta febris intermittens duravit per mensis spatium, quam tamen, nullo Medico in consilium vocato, remediis, ut vocant, domesticis pellit, in M. S. cruditatibus ac sordibus febrilibus adhuc inhærentibus & dyscrasia, simul etiam debilitate ventriculi malè constituti manente, quia curatio malè fuit peracta & ad ventriculum & læsam transspirationem, ad ⊖inas & spirituosas sordes evacuandas, nullus respectus fuit habitus. Ideò sæpius post assumtum cibum presionem nimiam atque molem ventriculi angustiamque circa præcordia sentit, frigus seu horror subcutaneus, sitis p. n. aucta, facies pallida cum liventibus oculis, mensium paucitas & decoloratio, fluxus inordinatus & tandem totalis suppressio fuit insecuta. Quia verò venter imprimis ad pubis regionem vergens intumescere, & in dies magis atque magis accrescere incipiebat, certò sibi habet persvasum, se utero gestare, gravidamque esse, signisque anamnesticis consideratis, enarrata symptomata ab impraegnationis causa descendere. Non multo post ventre in tantam magnitudinem se extendente, ut non modò non ordinariam formam servaret, sed multo majus superaret, insimul etiam moles seu gravitas sic erat mobilis, ut ab uno latere ad alterum se inclinaret, instantibus etiam acutissimis doloribus circa genitalia & pungitivis cum eruptione

mate-

materiæ mucosæ tempus parturiendi instare planè credebat. Quare obstetrix in consilium vocata, satis, ut sibi persvadet, perita, partum instare verissimum penicillo plusquam Apelleô depingebat, & ad dolores nimis acutos leniendos coctum ervorum stramen tepide ventri applicat; verum enimvero nulla dolorum satis acutissimorum remissione subsequente neque certioribus signis partus se manifestantibus & ⊡â guttatim & planè decolore & ∇eâ maximis cum cruciatibus exstillante opem Medici implorare cogitur.

EVOLUTIO.

§. I.

SI quis enarrata symptomata atque signa anamnestica à nostro casu exhibita accuratiore mentis lance considerat, omnes ignorantiæ salebras, erroris ac difficultatis syrtes secundis ratiocinationis suæ velis transmeabit. Quod enim navigantibus pyxis nautica & in illa recondita acus magnetica, vel etiam nocturnô tempore cœlô serenô existente stella Polaris indicat & efficit, illud quoque in morbis cognoscendis symptomata præstant; hæc enim sunt Medicis statuæ quasi Mercuriales, quæ ad veram cognitionis viam iter facientes perducere solent, hæc sunt curationis certissimus Pharus, qui ad certum tutumque Apollineæ Artis portum ducit. Hinc ex caussis antecedentibus nimirum febri intermittente & discrasia in sangvine, suppressione mensium, gravitate in utero ab uno latere ad alterum se volvente, ⊡âque crudâ & simul

∇eâ

Veâ quilibet Philiatrorum rationis ſuæ acumine hydropem uteri adeſſe attingere poteſt, cujus naturam & eſſentiam, cauſas, ſigna & curationem feliciter peractam (ſiquidem adhuc patiens noſtra cum optimô ſanitatis vigore eſt ſuperſtes) pro ingenii viribus breviter ſumus indagaturi.

§. II. Methodum ordinemque conſvetum in conſcribendis Diſſertationibus ut retineamus, ante omnia de ὀνοματώδῃ ſeu nominis evolutione ſimus ſoliciti. Cognitâ nominis ratione atque uſu, rerumque notitia feliciter ſequitur. Accurata enim vocum interpretatio ſenſum non tantum parit genuinum, ſed & ipſarum potisſimum rerum aperit intelligentiam.

§. III. Hydrops etymologicè conſideratus Græca agnoſcit incunabula ἀπὸ τοῦ ὕδατος καὶ ὠπὸς, nimirum aquâ & facie, quia utplurimum hydrope laborantibus faciei floridus & vividus color in pallidum & lividum eſt immutatus. Hinc Græcorum more in componendis vocabulis felicisſimorum vocabulum hoc ὕδρωψ quaſi velles dicere ὑδερικὴ ὤψ aquoſa facies in Medicorum civitatem eſt introductum. Latinô idiomate aqua inter cus & aqua inter cutem, Germanis, **die Waßerſucht.** Me quidem non fugit, non omnes hydrope preſſos facie aquosâ & lividâ apparere, ſiquidem *ſecundum Sennertum Lib. 4. de Morb. Mulier. Part. 1. Sect. 2. Cap. XI. Mulieres in uterino hydrope utplurimum* faciei colorem bonum habent, aſtipulante etiam *Jonſtono Libr. X. Artic. VI.* Notanter aſſerui, ut-

pluri-

plurimum , non verò ſemper & in omnibus ſubjectis, ſiquidem in caſu noſtro in ſcenam à nobis productô hic faciei flos minimè obſervabatur, de quo infra fuſius ſumus dicturi.

§. IV. Poſitâ jam cognitione nominali reſtat, ut etiam cognitionem realem accurata mentis trutinâ perpendamus. Eſt igitur hydrops vocabulum generale & in foro Medico audit collectio ſeu abundantia ſeroſi & ▽ſi humoris totius corporis. Hinc etiam nomen ab ▽. accepit. Hanc denominationem generalem latô vocis ſignificatu *Divinus Cous* videtur innuere, quando *Libr. de loc. in hom. num. 9. carnes hydrope plenas eſſe aſſerit*, cui aſſentitur *Jonſt. Artic. III.* cum hydropem generaliter conſiderat. Sciendum vero, nos hic nomen hydrops non ἁπλῶς καὶ γενικῶς tractare, ſed ἰδικῶς & μετὰ προσθήκης cum additamento ſeu ſpeciali denominatione & appoſitione partis affectæ. Magnus Medicorum Strategus Hippocrates iterum multas peculiares hujusmodi hydropis ſpecies dari in *Coac. prænot. egregiô nobis ſuccurrit teſtimoniô.* Idem *Practicorum quotidiana experientia prolixè docet.* Capiti enim eſt hydrops, qui ὑδροκέφαλος nuncupatur *aſſentiente Coo. Lib. 2. de Morb. Fabricius Hildanus Cent. 3. Obſerv. Chirurg.* 17. memoratu dignisſimum profert ὑδροκεφάλου caſum &c. Suum quoque pulmones patiuntur hydropem, *animadvertente Joh. Theod. Schenckiô Tract. Ser. Sang. Cap. 7. §. 15. Joh. Riol. Sen. de Morb. Pulm.* Inſuper umbilicus ſcatet hydrope ὑδρομφάλῳ dicto, *approbante Jonſt. Libr. X. Tit. XIII.* Item in ſcroto quoque invenitur

ſpecies

ſpecies hydropis, quem hydrocelen vocant, cujus mentionem facit *Hippocrates de Aëre & Aqua Sect. 3. It. Schenckius de Ser. Sangvin. Hiſt. Cap. VII. §. 38.* Plura Auctorum expertisſimorum in medium poſſent proferri ſuffragia, ſi hæc modo obiter non eſſent notanda. Tandem & à nobis in ultimo loco poſita illa ſpecies hydropis, quæ hydrops uteri audit, in noſtram venit conſiderationem, de quo impræſentiarum ſumus disſertaturi.

§. V. Pertractatâ jam voce hydropis, reſtat, ut etiam ſtylô, quantum posſibile, brevisſimô uterum explicemus, priusquam ad definitionem morbi ipſius in noſtra Diſſertatione tranſire posſimus. Quid uterus ſit, lippis quoque & tonſoribus notum eſt, appellatur vero uterus ab utre, quia cavus eſt, impletur & depletur, ut vult *Rolfinc. Tract. Ord. & Method. Generat. dicat. &c. Cap. XI.* Quibusdam hæc vox origenis Græcæ eſſe videtur, ab Æolico ὄτερ&, ut ſit quaſi ὁ ἕτερ&, alter venter. In monumentis divini *Senis* pasſim vocatur Græcè ἡ ὑστέρη & ὑστέρα forte à vocabulo ὕστερ&, poſterior, ſequens, ob ſitus poſteritatem. Plures nominales deſcriptiones in medium proferre, ſupervacaneum eſſe duxi, quia hæc nimia eſſet à ſcopo noſtro aberratio. Plura qui vult legere, evolvat modò citatum *Rolfincium*, *it: Thom. Bartholini Anatomiam. Hieronym. Fabric. ab Aquapendente Opera Anatomic.* Tantùm hæc de utero dicta nobis ſufficiant, quia vocabulum uterus ad morbum noſtrum etymologicè conſideratum ſpectat, & quatenus eſt viſcus cavum in re-

gione

gione hypogaſtrica poſitum ac generationi dicatum, tractationis noſtræ cardo in illo verſatur.

§. VI. Exenteratis ergò & enucleatis vocibus hydropis & uteri ſeorſim & ſeparatim, rerum neceſſitas efflagitat, ut ambobus velis navigemus ad portum certum noſtræ Diſſertationis conſequendum, qui eſt hydrops uteri. Græcis nominatur ὕδρωψ, ὑδρώπισις ὑστερικὴ, ὕδερος ὑστερικός. In foro Romano vocitatur hydrops uteri, morbus hydropicus uteri, & hydrops uterinus, in vernacula lingva **die Mutter-Waßersucht / oder die Waßersucht der Mutter.**

§. VII. Præmiſſis ad nominis evolutionem neceſſariis, ad πραγματολογίαν ſeu Definitionem realem nos accingamus. Eſt igitur hydrops uteri tumor ſeu *intumeſcentia p. n. inferioris ventris à colluvie vitioſorum humorum ▽ſorum ſimul & flatulentorum in ſpatio ſeu cavitate uteri aut in ipſius ſubſtantia aut membranarum interſtitiis collectorum dependens.*

§. IIX. Genus ſeu ratio formalis hujus morbi eſt οἴδημα παρὰ φύσιν, intumeſcentia ſeu tumor p.n. locum ſibi vendicans inter morbos organicos auctæ magnitudinis, ad quos proprie omnes referuntur tumores & partium p.n. incrementa, *docente experientiſſimo D. Juſto Veſti quondam Profeſſore meo perpetua gratitudine proſequendo in Inſtit. Reformat. L. 11. Cap. 3. §. 12.* Notanter in Definitione adjecimus tumorem p.n. ut diſcernatur ab illo tumorum genere, ſecundum naturæ leges qui oriuntur. Non enim omnis tumor nec intumeſcentia ſeu excreſcentia quævis eſt p.n.,

quod

quodluce meridiana clarius innotescit in obesis, qui ultra naturalem & alias consvetum corporis habitum in latum & profundum accrescunt, absque tamen manifestâ actionum læsione. Neque etiam de illis dici potest, quæ utero gestant, atque gestationis tempore venter sensim atque sensim in majorem extenditur molem atque magnitudinem, quod laborent tumore p. n. cum hæc singula naturæ opera, atque secundum illius leges fiant.

§. IX. Ad tumorem p. n. itaque requiritur, ut non solum magnitudo sensibiliter augeatur, sed etiam ut notabilis partium & actionum læsio inde accedat, cum manifestâ sensus doloris perceptione; hæc enim accidentia affectuum p. n. plerumque fidelissimi sunt comites, ut evidentissimè apparet in nostro affectu, nimirum hydrope uteri, clarius vero in casu jam introducto, ubi nimirum patiens minime rerum suarum sat agere poterat, intellige actiones & opera ætati & sexui consentanea, non dicam de dolorifica sensatione, quam dies noctesque accusabat.

§. X. Differentiam verò affectus nostri specificam reliqua verba in definitione allegata præbent, à colluvie scilicet vitiosorum ▽sorum humorum, ut distingvatur ab inflatione ac tympanite uteri, ubi uterus à flatulento vapore in illo collecto & incluso extenditur ac dilatatur, ubi bene annotavit *Ducan. Liddel. Scotus Libr. III. Cap. XIV.* Quotidiana quoque & solers Medicorum experientia docet, id quod nos etiam in nostra praxi observavimus, ubi Mulieris cu-

jusdam uterus à flatibus in notabilem quantitatem extendebatur. Adhibitis verò carminativis ac uterinis, flatus per vulvam summo cum strepitu exibant, non secus, ac si anus sibilaret. Differunt ergò hi duo affectus tantum causâ immediatâ, quæ in nostro est colluvies vitiosorum ▽sorum humorum, in illo autem vapor flatulentus solus est in causa. Interim non negandum, quod hydrops uteri haud rarò humores simul & flatus conjunctos habeat, ut videre est, si venter tensus percipiatur, quem etiam in nostro casu sic observavimus, aliàs humores soli, si occlusi sunt, mollitiem ventris plerumque comitem habent.

§. XI. Subjectum nunc affectus nostri indagandum venit, partim, ut sedem genuinam & τὸ πȣ̃ seu locum primariò affectum naturamque morbi eruamus: Partim, ut viam ad curationem faciliorem feliciorem que inveniamus. Hoc itaque ut eô felicius eveniat, cum Practicis recentioribus usitatissime distingvimus *inter subjectum principale & minus principale.* Per hoc intelligenda erit latitudo morbi totalis, quousque scilicet se extendit: Per illud vero πρῶτον τεχνικὸν locum scilicet, in quo primario affectus residet seu inhæret.

§. XII. Subjectum itaque principale inadæquatum τὸ πȣ̃ sedemque primariam hydropis uteri ut enucleemus, Medicorum facilè aquila Hippocrates lucem quasi nobis præfert, *Libr. de Loc. in hom. Sect. IV.* literis consignatum reliquit dicendo: *Morborum omnium, qui Muliebres vocantur, uteri in cau-*

sa sunt, quare haud difficile demonstratu erit, uterum cum ratione cavitatis tum ratione substantiæ & membranarum esse primario subjectum inhæsionis affectus nostri. *Subjectum minus principale seu adæquatum est totum microcosmicum sexus sequioris compositum*, quatenus tota massa sangvinea corrupta ac vitiata est, spiritusque suis operationibus turbati officia non recte peragunt sua.

§. XIII. Quemadmodum verò parœmia illa Philosophorum ipsa veritate verior: Qui bene distinguit, bene docet: Ita quoque summe necessaria imo utilissima experientissimi illa Galeni: ὁ ἄριστα γνοὺς, ἄριστα θεραπεύει, optime qui cognoscit, optime curat. Magnificum enim quicquam splendidumque videtur, nosse singularum rerum causas; his vero non instructus Medicus Palladis portas nec aperire, nec ingredi, multo minus ad regium ὑγιείας solium accedere, & gloriosæ Reginæ conspectu frui potest. Nos itaque ut curationem faciliorem feliciorem que adipiscamur, causas prius perscutabimur genuinas.

§. XIV. *Causa immediata seu* ἄμεσος *nostri affectus est* ▽*ea & serosa materia nutritioni inepta, uterum replens ac distendens & in tumorem hydropicum elevans.* In nostram sententiam pedibus it *ingeniosissimus Sennertus Lib. 4 Part. 1. Sect. 2. Cap. XI.* qui ▽æ in utero collectionem à serosa & ▽sa humiditate mensibus permista pro causa agnoscit. Huic album, ut ajunt, calculum adjicit *Joh. Nicol. Pfizerus Lib. 2. Cap. 7.* qui serosos & ▽sos humores mensibus mixtos accusat. Nec

nobis

nobis contrarius *Schenckius in Lib. de Ser. Sang. Cap. 7. §. 36.* asserens, *uterum scatere serosis aquositatibus, exulcerari & hydropem incurrere.* Experientissimus etiam *D. Justus Vesti in Collegio suo Practico* causam hydropisis uterinæ nominat ▽sam materiam in cavitate uteri collectam. Non solum dicimus, quod materia illa serosa & ▽ea tantum in uteri cavitate suam sedem habeat, sed diximus notanter §.12. etiam partibus adjacentibus inhærere posse, uti nobis adstipulatur *Sennertus ex Historia Heinzii, quam habet de Ancilla, ex utero hydropica post mortem sectâ, in quâ testes tumidi ad magnitudinem capitis recens nati Infantis, fungosi & vesiculis ▽eis pleni fuere reperti:* Ex quo etiam colligendum erit, ipsam uteri substantiam & vasa quoque adjacentia materiâ istâ ▽osa & serosa utplurimum esse referta. In nostro autem casu tantum illa materia peccans in ipsa cavitate uteri locum occupaverat, reliquis partibus integris & incorruptis manentibus, quia molem patiens tantum in utero sentiebat, obidque gravidam se esse putabat, & post materiæ ejectionem de nulla amplius passione conquerebatur, & non multo post felix puerpera fuit facta.

§. XV. Mediatam causam seu ἔμμεσον & quidem proximam ut etiam perpendamus, illa nihil aliud est, quam totius corporis cachexia ex vitiosis ac depravatis succis, crudis videlicet & peregrinis qualitatibus imbutis, imprimis intemperies uteri, quæ ob abolitam & diminutam digestionem ac χύλωσιν ventriculi chylum ἄπεπτον viscidum ac ▽eum producentis

sua

ſua facit incunabula. Quorum habitus ſangvinis cachecticus & cacochymicus à naturali ⊖lina volatili aut ſpirituoſa craſi deficiens & in maſſam crudam ex cacochymia degenerans imminutam ſangvinis fermentationem menſtruam indeque ſubſequentem deficientem excretionem infert, *ut experientiſſimus Ettmüllerus diſerte diſſerit.* Unde humores ſpisſi ac corrupti in vaſis lymphaticis ſtagnantes circulatione M. S. ac humorum tardata ſeroſam ac ſalſam materiam cum acredine asſumunt, ſpiritus diminuuntur & viſcera fiunt debiliora & impura, *quum ſecundum Hippocratem L. IV. Sect. 5. tranſpiratio læditur*, quare viſcerum impuritatem ac vitium præcipuam hydropis cauſam eſſe concludit, adeo, ut ad ſalutem ipſam viſcerum firmitas & robur ac virium integritas & conſtantia præcipuè faciant, cum ſint totius vitalitatis arx & propugnacula. Nec tacito pede eſt prætereunda ſuppresſio & corruptio menſium, utpote quæ ad uteri depravationem ac intemperiem plurimum confert, & *ſecundum magnum Coum Libr. de Natur. Muliebr. Sect. V. menſes in hydrope uterino ſemper pauciores & deteriores contingunt, & deinde, ut ejus verbis utar, derepente deficiunt*, dum loco ſangvinis floridi ſerum ſpisſum ac ſangvinem mucoſum in cavitate uteri deponentes cum ſumma corruptione, impuritate humorum ac depravatione ſinum uteri implent & ſtagnant, quia per naturæ conatum ac evacuationem ſemper impura materia omnesque ſordes ad uterum demittuntur & ſic per illum fluxum natura ſe purga-

re annititur. Equidem non planè ſubſcribam *D. Ramazini Profeſſoris Academiæ Paduenſis ſententiæ, qui autumat, in omni menſium fluxu etiam ſ. n. ſemper aliquid malignitatis ac impuritatis latere, quia ille fluxus non ſolum eductio ſed etiam evacuatio materiæ ſuperfluæ ac peccantis denominaretur;* ſed in contrarium ratiocinatur *Fallop. de Med. purg. Cap* 2. qui ſangvinem menſtruum ab iſtis injuriis vindicare conatur, cui *Rodericus à Caſtro itemque Ballonius calculum adjiciunt Hippocratem L. 2. de Morb. Mulier. adducentes, qui menſium evacuationes non fluxum ſed florem* nominare conſveverit, τὰ καταμήνια ἐνθεῖν; attamen non negandum eſt, naturam multum levaminis materiæ peccantis per illam excretionem perſentiſcere, quod videmus, ſi per cauſam aliquam occaſionalem illius fluxus fit ſuppresſio, quomodo tota natura alteretur & corrumpatur. Hæc autem ſunt intelligenda de menſium fluxu in ſtatu naturali; ſed in præſenti loquimur de ſtatu p. n. quo ſemper natura per illam evacuationem omnem impuritatem deponere asſveta eſt, dum ſangvis atque humores antea impuritates ac corruptiones acquiſiverunt, ob ſtagnationem læſamque tranſpirationem vappeſcunt & in acredinem ac ſeroſitatem abeuntes corruptioni putredinali occaſionem præbent aptisſimam *vid. Pfiz. l. de Natura Mulier. l. 2. Cap. 7.* Id quod noſtræ Patienti etiam accidit, cum multa materia ſeroſa ac putrida una cum menſibus fuerit ejecta, ut ex hiſtoria caſus noſtri videre eſt.

§. XVI. De cauſis Mediatis & quidem remotioribus

ribus acturi, ante omnia distinctionem apud recentiores usitatissimam nec minus utilem præmittimus, quando distingvunt in causas naturales, non naturales & præternaturales, de quibus singulis separatim sumus dicturi. Præponunt quidem causam supernaturalem tanquam causam remotiorem mediatam, quippe quæ Soli DEO competit, dum novimus Christianæ Religioni addicti, quod sine Divini Numinis permissione nos lædere nihil possit. Hæc autem magis ad Theologiam quam Artem Medicam pertinere, quis non videt? Ergo ea mittimus & ad primas nimirum naturales dispositiones tanquam præcipuas, transgredimur. Primo nobis ex illis obviam venit temperamentum phlegmaticum, ut in historia casus nostri posuimus. Illud autem secundum *Excellentissimi Ettmülleri Physiologiam Cap. 5. §. 31.* omniumque Medicorum sententiam est dispositio frigida atque humida: & in phlegmatica dispositione abundare pituitam, sive humores crassos, viscidos & ♀eos notissimum est. Valdè enim Mulieres sunt dispositæ ad contrahendum hydropem uterinum, temperamento frigidiore quæ gaudent & humidiore, & quibus simul uterus continuis scatet humiditatibus. Hisce accedit habitus corporis, si à naturali statu recedit, suumque vigorem ac integritatem debitam amisit, qualis valetudinaria & cachectica ad hydropem uterinum valdè est disposita: Serosum enim crudum & pituitosum producit sangvinem ex humoribus viscidioribus & ventriculi aliorumque viscerum δυσχεξσία

pro-

provenientem, ut patet ex casu nostro, ubi patiens antea febri laborans intermittente cachectica facta est. Huc etiam pertinet uniuscujusque hominis idiosyncrasia, quæ ratione constitutionis seminalis Parentum hæreditario jure quibusdam evenit. *vid. Ettmüll. Libr. Theor. Cap. 3. §. 4.* Siquidem non raro contingit, conceptum in utero paternorum & maternorum malorum fieri ex asse hæredem. Si nimirum Parentes fuere cachectici, dispositionis & constitutionis frigidæ & phlegmaticæ & ad hydropem maxime dispositi, cur non idea ista hydropica seu dispositio per parentum semen communicari Archæoque insigillari possit? *ut excellentissimus D. Justus Vesti in Instit. suis reformatis Lib. 1. Cap. 3. §. 3. ingeniosissimè demonstrat, suffragante* quoque *Hippocrate de* △. ▽. *& Loc. quando dicit â sanis semen sanum, â morbidis vero morbosum semen decidere.* Ætatem quod attinet, nostra affectio ætati ferè omni communis, imprimis vero juvenibus, quum juvenes humidiores sint, seniores vero sicciores. *Hipp. libr. de Mul. Natur. & quidem virginibus pubescentibus, cum circa menstrui tempus aut sese corrumpunt aut materiæ excretionem impediunt.* Sexum quoque consideraturi soli fœmineæ sorti competere hunc affectum affirmamus; nam fœminea illa conditio in eo præprimis est miserabilis, quod præter mille casus & morbos variis insuper uteri ægritudinibus â virorum planè diversis excruciari soleat.

§. XVII. Nunc ordo nos ducit ad res sex non-

natu-

naturales, quatenus tanquam causæ remotæ in nostrum affectum incurrunt, ex quibus primum locum sibi vendicat 🜁. qui meritò *teste Galenô* ad τὰ ἀναγκαῖα *refertur dicente; ex 🜁e talem generari ♎um, qualis est 🜁 ipse.* Hinc 🜁 humidus & frigidus, crassus & nebulosus & multis effluviis subterraneis refertus ad hydropem uterinum inducendum aptissimus, quatenus nimirum poros subcutaneos obstruit, insensibilem transpirationem retardat, vel penitus lædit, sangvinem atque serum incrassat, omnisque generis humores condensat eosque cumulat, uterum refrigerans morbis variis imprimis obstructionibus viam præparat, & sic ad hydropem uterinum producendum, præmissis omnibus circumstantiis, mater fœcunda.

Nec minus variis concurrunt modis Cibus & Potus, si nimirum chylum viscidum, lentum, crudum & 🜄eum præbent. Huc cibi pertinent κακόχυμοι καὶ δύσπεπτοι pravi scilicet succi & difficilis digestionis. Pestis autem hydropicorum sunt carnes salitæ omnis generis & fumo induratæ ob difficilem digestionem & chymum crassum minusque ♎osum & alibilem: hujus farinæ etiam sunt pisces marini saliti ac 🜁 exsiccati; horariorum fructuum usus, imprimis immaturorum, item melones, cucumeres, olera & legumina, quæ omnia chylum viscidum atque ἄπεπτον producunt. Aceti quoque & 🜔is culinaris usus frequentior, hæc enim alimenta aut corpus refrigerant & digestionem impediunt, aut flatus & serosam mate-

 riam

riam cumulant. Causæ quoque sunt alimenta, si cibi & potus nimiâ quantitate ventriculus obruatur & noctesque diesque nullâ observatâ diætâ corpus satiatur cibo, præsertim potu , cujus largior & frequens ingurgitatio, v. gr. cerevisiæ aut ▽. frigidioris post validum motum hydropis certissimus est prodromus: ex largo enim hujusmodi potu præprimis ▽eo simplici incoctô atque Φroso liquor ventriculi gastricus diluitur & imminuitur , nullaque perfecta sequitur digestio. Hinc chylus sequitur pituitosus, flatulentus & crassities humorum augetur, unde vasa imprimis lymphatica seroque dicata materiâ ▽eâ crudâ & acri implentur, ut in nostro casu patiens, ob rem domi angustam, post fortiores labores, nulla observata diæta, ▽. se frigida ingurgitabat.

Motus moderatus sanitatis conservator, immoderatus intempestivus spirituum vitalium dissipator, quare non omni culpa expers, quatenus motus nimius humores intempestive agitat. Præprimis si post assumptum cibum in motu peccetur, nimium humores commovendo cruditates cumulantur, chylus crudus & vix dimidia parte digestus ob motum intestinorum peristalticum fortiorem ad partes transmittitur, hinc succi crudi spissi & indigesti hydropisis fiunt causæ idoneæ.

Sicuti vero in motu excessive peccatur: sic e contrario quies tanquam in defectu suum hic habet locum: Hæc enim im̃oderata fluxum sangvinis atque humorum itemque motum intestinorum peristalticum

cum reddit torpidiorem atque tardiorem, quo referri potest vita nimis sedentaria sexui sequiori gratissima & frequens, hinc etiam majoribus obstructionibus frequentioribusque sexus hic est obnoxius, quippe quæ multorum morborum fœcundi Parentes, hæ enim cruditates coacervant, motum sangvinis omniumque humorum imminuunt, quatenus spiritus obtundunt & excrementa cumulant. Quare ad generandum hydropem gratum porrigit pabulum.

Ὕπνος ἀγρυπνίη ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γινόμενα κακόν, i. e. *Somnus vigilia utraque modum excedentia malum, inquit Hippocrates Sect. II. Aph. 3.* Somni etenim excessus ♎ reddit torpidos, calorem obtundit, humiditate nimiâ & cohibitâ vitiat coctiones & cruditatum auctor fit. *juxta Schenckium Synops. Instit. Artic. VI. §. 3.* Vigiliæ verò ac lucubrationes nimiæ digestionem ventriculi turbant, hinc ♎ depauperantur, cruditates augentur & tenuior sangvinis pars absumitur, & sic ex accidente morborum frigidiorum causæ fiunt.

Ἐκκρινόμενα καὶ Ἐπεχόμενα, Excreta & Retenta non infimum locum inter morborum causas retinent, quando nimirum evacuationes consvetæ vel retinentur vel retentiones naturales excernuntur, ut fluxus mensium, ⊡, scybala, lochiorum, sudorum, transpirationis subcutaneæ aut totalis inhibitio aut ultra tempus ordinarium commoratio, aut etiam nimia eorum evacuatio, hæc enim naturam debilitat, vires consumit, spiritus dissipat & perturbat, illa vero M.S. conspurcat, inquinat, circulationem sangvinis retardat aut impedit.

Animi Pathemata, quæ ſunt motus & affectus nos valdè alterantes morborumque ſecundum Ettmüllerum ſæpè atrocium fiunt autores, quatenus diverſimodè ſub iisdem ♌ & humores agitantur & commoventur. Sicuti verò ira atque gaudium quoscunque humores commovent eorumque ebullitionem & excretionem cauſant, è contrario terror & tremor humorum motus ſupprimunt excretionesque quasvis ſiſtunt, imprimis dominium ſuum exercent in ſexu ſequiore & non raro menſium ſuppresſionem atque febres poſſunt producere, ut *D. Hagendorn in Hiſt. Med. Ph. Cent. I. Hiſt. 85. Exemplum adducit Mulieris, quæ ex terrore viſi funeris in menſium ſuppresſionem ac febrim incidebat, quæ hydropi anſam præbent commodam.*

§. XIIX. Res præternaturales ita ſunt comparatæ, ut una interdum alterius fomes ſit & incitamentum, id quod *Hippocratis Sect. VII. L. VI.* §. 29. *quoque mens eſt inquientis: loci alterius noxios humores loca quædam excipiunt.* Ita intemperies frigida, morbi præcedentes, febres intermittentes & inde ſubſecuta cachexia menſium parvitas, aut totalis ſuppresſio eorumque decoloratio, lochiorum retentio, tumores ſcirrhoſi & id genus alia multum ad hydropem producendum afferre poſſunt, quatenus pravi humores ac cruditates ad uterum proturbantur, quod noſtra patiens clarius nobis ob oculos ponit.

§. XIX. Enucleatâ jam cauſarum cognitione ad differentias, quas brevibus perluſtrabimus, devolvimur.

mur. Conſiderandus eſt uteri hydrops ratione gradus. Alius enim eſt genuinus vel exquiſitus, alius vero nothus ſeu falſus, alius perfectus, quando ad perfectionem atque ad ἀκμὴν pervenit, alius imperfectus, quando in fieri ſaltem eſt, & incrementa adhuc capit. Ratione temporis & quidem invaſionis & durationis alius recens & incipiens, ubi totam corporis machinam nondum occupavit, & viſcera non omnimodè ſunt labefactata: Alius confirmatus & inveteratus, ubi ♎ maxima parte abſumti & humores corrupti ſunt, uterus debilis & ad reſiſtendum plane inutilis & ineptus eſt redditus. Ratione loci affecti generatur uteri hydrops vel in ipſa ſubſtantia, vel cavitate vel etiam partibus adhærentibus, ligamentis, tunicis & labiis uteri, quale exemplum refert *D. Hagendornius in fœmina obſervatum, cujus labia pudendi tantus poſt febrim acutam tumor occupaverit, ut duas quaſi lagenulas, quarum una ex labio dextro, altera ex ſiniſtro dependebat, præſentaret, ex quo poſt apertionem materia ſeroſa cum tumoris collapſu copioſe effluxit.* Ratione cauſarum hydrops uteri oritur modò ab intemperie uteri frigidâ, modò à præcedente morbo, modò ab humoribus acribus ⊖ſis & ſeroſis, modò denique ab alia producitur cauſa.

§. XX. Μόνος ὁ τῶν σημείων ἔμπειρος εἰκότως ἐπιχειρέει, *ſolus is, qui ſignorum cognitionem habet, ritè curationem aggreditur*, eſt divi Senis ex tripode quaſi dicta ſententia; quoniam recte tantam ſignorum ad bene Medicandum eſſe neceſſitatem affirmamus, ut nulla morbi curatio ritè peragatur, niſi nobis ſigna quaſi

D Phoſ-

Phoſphorus viam demonſtraverint ad curationem optabilem, quæ paulo accuratius inveſtigamus. Signa autem uteri hydropis diagnoſtica ſunt tumor circa imum ventrem amplus, laxus, ſecundum uteri formam extenſus, murmura & ſonitus, menſium paucitas, pravitas, ante tempus defectus, mammarum mollities & lactis carentia, uteri oſculi gracilitas & humiditas, ſicuti accurate ſigna hydropis uteri *Hippocrates percenſet Libr. de natur. Muliebr. Sect. V. §. 40. Si hydrops in uteris oboriatur, menſes pauciores & deteriores contingunt, deinde derepente defugiunt, venter intumeſcit, mammæ ſiccæ evadunt, & in reliquis male habet, ſibique utero geſtare videtur &c.* Hinc tumor primario hypogaſtrium occupat, ut quando mulier ſe movet, tumor ſecundum motionem mulieris in latus decumbentis delabatur, aut, quando tangitur, nullus adſit dolor ſeu tenſio, ſed fluctuet, quare juxta uteri & ventris amplitudinem diſtenditur tumor, nec durus & acuminatus apparet, ut in vera conceptione, ideoque ab ipſa maxime diſtingvitur. Dignoſcitur denique hydrops uteri ex inſigni gravitate vulvæ ſeu ſinus pudoris, quæ provenit a pondere materiæ in cavitate uteri ejusque partibus adjacentibus hærentis atque incumbentis. Bene autem obſervandum, ne uteri hydropem pro vera conceptione, quam ſæpe mentitur, agnoſcamus. Graviditas enim non facit tumorem præternaturalem æqualem & amplum, uti hydrops, ſed acuminatum quaſi & faſtigium atque eminentiam quandam circa

um-

umbilicum præſe ferentem. Unde ſi alia ſigna mulieris gravidæ abſint, imprimis ſymptomata gravidarum in primis menſibus familiaria non obſervata & nullus motus fœtui conveniens unquam perceptus fuerit, uterus tamen magis atque magis in tumorem fuerit allatus & venter extenſus, tunc uteri hydropem adeſſe rectiſſime erit concludendum, *uti de hoc fuſius ſcripſit Ettmüllerus Th. 11. Sect. V. Cap. 1.* Differt etiam a mola, quia in ea pondus majus obſervatur, & gravitas in imo ventre percipitur, quæ in uteri hydrope non apparet: intumeſcunt etiam mammæ, in hydrope autem non item. Denique ab univerſali hydrope abdominis diſtingvitur ex eo, quia hydrops abdominis incipit à ſuperiore abdominis parte, illamque æqualiter diſtendit, uteri vero hydrops fundum ventris magis ad hypogaſtricum occupat, ſitisque adeſt nulla, *ut vult Ettmüllerus loc. citato.* Secernitur denique uteri hydrops ab inflatione uteri; hæc enim in omnes dimenſiones abdominis ſe expandit, & contenta flatulentia nunc augetur, nunc imminuitur, præterea inſignis tenſio dolorque tenſionis uterum occupat, isque durus eſt, illa autem hydropiſis uteri plerumque eſt mollis & potiſſimum in imo reſidet ventre, uti ex hiſtoria noſtra pateſcit.

§. XXI. Signa prognoſtica in genere hydropis uteri quod attinet, & quidem primo ratione ſalutis & mortis, maxime curatu difficilis alias eſt, eoque difficilior, ſi liquor contentus ſit pravus ſeu vitioſe corruptus. Gravis autem eſt, quando nonnunquam totam corpo-

 ris

ris œconomiam occupat, omnesque humores vitiat. Periculosum etiam solet esse hoc malum, quia, nisi probe ejus habeatur ratio, tandem in universalem hydropem degenerat, variaque hinc inde graviora symptomata producit, tandemque ægrum ad mortem usque deducit. In nostra autem ægra ratione curationis adhuc salus erat speranda, quia serosi humores in uteri cavitate collecti saltem videbantur, & maximam partem mali à propriô uteri vitio nempe mensium obstructione ortum legebat, imo hoc ipsum malum diuturnum haud adeo fuerat: nam si materia peccans intra membranas aut in ipsa substantia hæsisset aut ipsis vesiculis utero adnatis fuisset, uti sæpe contingit, inclusa, certe curatio fuisset longior difficiliorque, imo periculosior, nec tam facile per idonea insequentia Medicamenta malum nostrum potuisset extingvi.

§. XXII. Investigatis iis, quæ ad Theoriam nostri casus spectare fuere visa, ad ejusdem curationem nunc devolvimur, qua tota ars Medicinam facientis alias terminatur, quoque tot ægrotantium unice diriguntur suspiria: & hæc absolvebatur à nobis triplici indicatione consveta, nempe CURATORIA, quæ morbum in magnitudine aucta respiciebat, viscerumque intemperiem corrigebat; PRÆSERVATORIA, quæ causas actu tumorem promoventes eliminare, materiæ pituitosæ stagnationes tollere, viasque, quæ tumori excitando & faciendo erant aptæ, præcludere jubebat. Et VITALI, quæ, ut robur & tonus

visceribus

visceribus restitueretur, ne vel iterum humores serosi generarentur, aut amplius reciperentur, præcipiebat; & ut rite hæ expedirentur *tres fontes, Chirurgicum, Pharmaceuticum & Diæteticum* in adjutorium vocavimus.

§. XXIII. *Ex fonte Chirurgico* etsi multum solatii hic hauriri potuisset, imprimis si V. S. fuisset instituta ob restituendum mensium fluxum huc usque suppressum: tamen quia noster affectus è δυσκρασίᾳ viscerum ortum ducebat & calor internus observabatur ob defectum spirituum animalium & vitalium diminutus, & circulatio sangvinis tardior sentiebatur, illam merito omisimus: imprimis quia sangvis hîc non in quantitate peccabat, sed potissimum in qualitate. Hinc quoque cucurbitulas tam siccas quam scarificatas inconvenientes judicavimus, quia scarificatæ ob materiam ex mora acrem factam facile potuissent inflammationem producere, quæ utplurimum, nisi in tempore iterum supprimatur, in gangrænam & sphacelum degenerare potest, & sic loco salutis necem inferre solet, qualem tragœdiam ab insulso chirurgo lusam in Praxi nostra nuperrimè observatum habuimus. Cauteria in tali morbo eadem fata sæpe imò sæpissimè habuerunt, cum horum usu multa pericula fuerint subsecuta. Unde ut inutilia à nobis sunt rejecta. An autem fonticuli aliquid juvamenti hic præstitissent: *cum Sennerto Lib. 4. Part. I. Sect. 2. Cap. 11.* merito dubitavi: nec potui concipere, quomodo humor in cavitate uteri conclusus per hanc viam commode evacuari possit.

§. XXIV. *Ex fonte Pharmacevtico* hausimus ea remedia, quorum beneficio humores quantitate peccantes per evacuantia eliminabantur, qualitate excedentes per alterantia corrigebantur. Antequam autem evacuantia, inprimis purgantia præscripsimus, merito experientissimi *Ettmülleri admonitionem* secuti sumus dicentis: *Collectio copiosarum ▽rum in utero consideranda est, an sit cum fœtu aut absque eo. Si cum fœtu, parum aut nihil omnino tendandum est, sed relinquatur mulier aut saltem blandis hydragogis sic dictis & quasi per epicrasin non nihil est evacuandum serum copiosum, nec diuretica sunt tuta, quia stimulant menses & hic metus est abortus.* Sed quia nulla suspicio erat de fœtu, sed pura tantum liquamina aderant, his sequentibus fortioribus purgantibus ad uterum stimulandum & ▽. evacuandam pugnavimus felici cum successu, qualia erant radix esulæ ejusque infusum & extractum, item radix ireos in lacte cocta, item istius succus expressus propinabatur cum resina galappæ, gummigut. extract. elaterii & ☿ dulc. quæ in formam pilularum fuerunt redacta & in usum vocata, præmisso in sequente digestivo ex ♀r. ⊕lato & ⊖ absinth. quod circa vesperam patiens assumsit & mane prædictas pilulas. Interea vinum insequens Medicatum loco potus ordinarii in usum trahebatur, qui talis erat

℞. rad. 5. aperient. rub. tinct. bryon. â ʒij. herb. sabin. mj. puleg. matric. meliss. absinth. ☿l. â mß. Fl. sambuc. ebul. Gemist pij Sem. dauc. apii anis. fœnic. â ʒij. galapp. nig. resin. ʒvj. cinam. N. M. â ʒj. fol. senn. s. st. ℥j. agar. troch. ʒiß. sem.

ſem. carth. in pet. lig. contuſ. ʒij. ⊖. ♀r. albiſſ. ℥ß. F. conciſ. & contuſ. S. Species zu 3. biß 4. Maaß Wein.

§. XXV. Vomitoria licet haud pauci ſvadent propter niſum, quem exerunt, ob ventriculum maxime debilem ægrotæ merito rejecimus & ductu Ettmülleri eorum loco acres ſaltem clyſteres maxime ſtimulantes in ſubſidium vocavimus, quorum erat hæc formula,

℞. Herb. artemiſ. matric. rut. ☿al. malv. ã. mß. Soldanell. pij rad. cucum. aſin. bryon. ireos noſtr. ã. ʒiij. Fl. chamomill. ſambuc. melilot. ã piiij. ſem. carv. leviſt. aniſ. apii lin. fœnu gr. ã ʒj. coq. in ▽ ſimpl. col. ℥xii. adde elect. benedict. lax. ℥j. & hier. picr. ʒvj. de bacc. laur. ʒvij. ⊖ gemm. ʒij. M. F. Clyſter. über den andern Tag zu brauchen.

§ XXVI. Sudorifera quoque certis in diebus cum maximo fructu fuerunt adhibita, quo horum beneficio humores ▽ſi tam in utero quam in toto corpore vitioſi & copioſiores evacuentur, quæ erant: ♁ diaph. bez. ♃. & ♂t. eſſent. lign. imò ipſa decocta lignorum ex lignis facta, chin. ſarſaparill. adject. ſimul. ſpecificis uterinis, puleg. cep. alb. c. Sacch. *ſecundum Luſitanum*. borrac. Venet. croc. orient. & extract. ſabini ad roborandum uterum caſtor. myrrh. croc. aromat. & alia exinde parata, imò eſſent. roriſm. ſalv. quam in uſum vocavi felici cum ſucceſſu.

§. XXVII. Et quò hoſtis maximè rebellis ubique impugnetur & expellatur, etiam hunc aggreſſi ſumus cataplasmatibus, peſſis, ſtimulantibus & injectionibus ſeu clyſteribus uterinis, quorum formulæ ſequentes erant:

℞. Fol. ebul. ſambuc. ã mj. ſtercor. caprill. ℔ij. rad. bryon. ℥j. coq. ſ. q. ⊡ puer. ad conſiſtent. cataplaſmat. S. Umſchlag euſſerlich warm auf die Geſchwulſt zu legen.

℞.

℞. Rad. asar. ℥iij. fol. puleg. calaminth. ā m ß. sabin. p ij. mechoacann. ℨj. sem. cum. anis. ā ℨß. coq. in ▽ artemis. col. ℥vj. add. ol. sambuc. lin. ā ℥ß. M. F. Clyst. uterin. tepide injiciendus.

℞. Succ. ☿l. ℥iß. Pulv. cymin. ℥iß. agar. troch ℨj. ⊖ gem. ℨß. mellis q. s. coq. ad consumptionem succ. in justa consistentia F. Pess. debitæ magnitud. qui retinebatur per noctem. Loco cataplasmatis etiam sequens empl. imponebatur interdum.

℞. Empl. hydrop. August. de bacc. laur. ā ℥j. ☿ dulc ℨj. ol. arin. sambuc. express. ad malax. F. empl. S. Auff den Geschwulst zu legen.

§. XXVIII. Ex Fonte diætetico △ temperatus cibus εὔπεπτος facilis digestionis, ut carnes juniorum animalium, agnina, vitulina, juscula carnium, ptisana avenacea atque hordeacea assumebat aromatibus moderate condita, potus vini aut cerevisia bene defœcata & lupulata tantum ad sitim fallendam usurpabantur, vigiliæ & somnus moderate erant instituta, & quies ritè tractata, animi pathemata præter gaudium exulabant.

§. XXIX. Et hæc erant Medicamenta, quibus patiens nostra summo adjuvante DEO sanitati restituta fuit, quæ adhuc in vivis existens post hæc unius prolis felix mater facta fuit. Hisce tandem colophonem huic nostræ Dissertationi Inaugurali imponimus. Sacro autem Sancto Tuo Nomini, veneranda Trias, immortales debeo gratias, quod Divino Tuo auxilio laboribus meis clementer benedicere non abnuisti. Ex intimis igitur cordis penetralibus devotissime & humilime summam Tuam Majestatem supplex imploro, ut etiam imposterum meas actiones atque curationes in perpetuam Tuæ Majestatis laudem & proximi salutem ita dirigas & gubernes, quo semper svavissima Spiritus Sancti aura in mea vela in hoc terrarum pelago mihi naviganti feliciter adspiret cursuque fortunato meam cymbulam propellat, usque dum in tutissimum cœli portum invehar, ubi erit omnium exanthlatorum laborum exoptatissimus

FINIS.